

Perillustris, et Reverendissime Domine. Acceptis literis Reverendissimae D. Vestrae, adii Summum Pontificem, eique exposui temeritatem fratris Bernardi, qui contra expressum mandatum Sanctitatis suae ausus est de haeresi notare sententiam patrum Societatis de auxiliis; et simul non tacui quanta sollicitudine, et prudentia Amplitudo vestra Reverendissima curaverit remedium adhibere scandalis, quae inde nasci poterant. Addidi etiam vidi me exemplum literarum, quas ante sex menses de hac re scripserat Dom. Vestra Reverendissima ad Magistrum Generalem ordinis Praedicatorum.

Sanctitas sua excusavit Magistrum P. Generalem ob absentiam, et iter in Gallias susceptum; sed valde moleste tulit insolentem audaciam fratrum Bernardi et prioris eius, et pollicitus est, se per vicarium generalem ordinis, qui Romae residet, curaturum, ut duo illi fratres severe, ut par est, corrigantur, et castigentur, et ne forte oblivioni rem hanc mandaret, voluit sibi relinqui epistolam Dom. Vestrae Reverendissimae ad me scriptam; quod ipsum libenter feci. Spero emendationem brevi secuturam. Interim gratias ago Amplitudini vestrae Reverendissimae pro defensione patrum Societatis, quam tam benigne suscepit. Deus autem mercedem rependet non solum pro defensione societatis, ~~patrum quae tam~~ sed multo magis pro pastoralis sollicitudine erga gregem sibi commissum; et ego quoque si quidvis possem in gratiam R^{mae} Dom. Vestrae hic Romae vel alibi, libentissime omnem operam meam impenderem. Precor autem Deum, ut tam bonum antistitem ecclesiae suae pernecessarium, diutissime servet incolumem. Datum Romae, die 29 Januarii 1611.

Admodum Ill^{ri} ac R^{mo} D^{no} D^{no} Andreae Opalinski Ep^o P~~o~~osanensi.
